



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. De populis qui olim Siciliam incoluerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Gerræ Siculæ in Prouerbum abiire *Ciceroni*. Authores fuere artis Oratoriæ, & Bucolici carminis, vt aiunt *Aristoteles* & *Diodorus*, catapultæ *Plutarcho*; illustratæ picturæ & tonsuræ *Plinio*.

Siculi suspiciosi sunt, inuidi, tetrici, ad contumeliam & ultionem faciles, principum assentatores, Tyrannidis amatores, & suo commodo quàm publico addictiores, desides, nouitatis cupidi, &c. quæ congesta cum testimoniis veterum leges apud *Fazellum* prioris *Decadis* lib. 1. cap. 7. Item lautioribus epulis addicti erant Siculi, vnde abiit in Prouerbum Σικελικὴ τραπέζα, ἢ Συεγκοσία. Mensarum Sicularum meminere *Athenæus* lib. 12. *Lucianus* in Dialogis, *Plato* Polit. lib. 3. & alij. Præterea in conuiujs suis pergræcabantur, vt ait *Aristoteles*, & meretricibus vacabant, vt innuit *Plautus* in *Rudente*.

N V M. 5. De populis qui olim Siciliam incoluerunt.

ANTIQUISSIMI populi Siciliæ fuere Cyclopes, Lestrygones Phæaces.

CYCLOPES principio Siciliam incoluerunt, sic *Iust.* lib. 4. vixere autem Cyclopes ad montem Æthnam; neque feminabant, neque metebant, sed frugibus sponte natis vescebantur, & lacte; speluncis pro domibus utebantur, vt intelligitur ex *Euripide* in Cyclope. Gigantes erant, & eorum corpora multa effossa sunt in Sicilia, vt docet *Fazellus*, & dicemus in *Admirandis* libro sequente: quando autem desierint ignoratur.

LESTRYGONES Cyclopibus adiungit *Thucydides*, sed ait nesciri vnde venerint: certè *Plinius* lib. 3. cap. 8. agros circa *Leontinos* vocat *Lestrygonios* campos. Aliqui tamen eos ex Italiâ educunt vbi habitauerunt ad montem *Circæum*; eorum Rex *Antiphas* fuit monstrum crudelitatis imperans hominibus barbaris, & feris. Hi quoque desierunt, aut exterminati sunt.

PHÆACES habitauerunt in *Hyperia*, vt ait *Homerus* *Odyf.* 6. sed vbi gentium hæc *Hyperia*? *Vibius Sequester* ait *Camarinam* antea *Hyperiam* appellatam esse; vixere ergo in parte Insulæ *Meridionali*: de his iterum agemus in *Melitâ* Insulâ.

SICANI prædictis successere quorum Rex *Cocalus* fuit, sic *Iustin.* lib. 4. Venerunt autem ex parte *Iberix* ad *Sicorim* fluuium, vt tradunt *Thucydides*, & *Diodorus*, ac Insulam *Trinaciam* aut